Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26359
Copyright: Admont, Benediktinerstift

·L·

merito te. In eo enim sibi iustitiae consortem et coronae
statuit promeritorem, cum operum quibus erat corona illa
repromissa, habere dignatus est eo adiutorem. Porro
eo adiutorem fecit, cum volentem fecit, hoc est suae vo
luntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, aux
ilium reputatur in meritum. Si igitur a deo voluntas est, et meri
tum. Nec dubium quod a deo sit et velle et perficere pro bona
voluntate. Deus igitur auctor est meriti, qui et voluntatem
applicat operi, et explicat opus voluntati. Alioquin si proprie
appellentur ea quae dicimus nostra merita, spei sunt quaedam semi
naria, caritatis incentiva, occultae praedestinatio
nis indicia, futurae felicitatis praesagia, via regni, non
causa regnandi. Denique quos iustificavit, non quos iustos
invenit, hos et magnificavit. XXXVI

Expeditum est ut reor, quia liberum arbitrium et gratia
non se inpugnant, immo convenientissime sibi iungun
tur. Aggrediamur quod demonstrare dei quoque praescientiae
atque eiusdem liberi arbitrii consonantiam. Videntur quidem
praescientia dei et liberum arbitrium repugnare, quoniam ea
quae deus praescit, necesse est esse futura, et quae per liberum arbitrium
fiunt, nulla necessitate proveniunt. Si autem si repug
nant, impossibile est simul et esse praescientiam dei quae
omnia praevidet, et aliquid fieri per libertatem arbitrii. Quae
impossibilitas si abesse intelligitur, repugnantia quae
videtur inesse, penitus removetur. Ponamus igitur simul esse
et praescientiam dei quam sequi videtur necessitas futurarum
rerum, et libertatem arbitrii per quam multa sine ulla
necessitate fieri creduntur, et videamus utrum im
possibile sit haec duo simul esse. Quod si est impossi
bile, oritur inde aliud impossibile. Inpossibi
le siquidem est, quo posito aliud inpossibile sequitur.